

*R.* *Ad 1.* distinguendo: Caro refugiebat mortem præceptam dependentem ab imperio rationis, actu inefficaci Con. independentem & cum resistentia ad rationem N. nam licet ratio superior in sensu composito præcepti mortem amplectendam iudicaret; eadem tamen ex honesto fine permittebat appetitui inferiori, ut actu inefficaci & in sensu diviso præcepti mortem sibi naturaliter malam refugeret.

*Ad 2.* Quòd Christus acceperit coronam propter pugnam cum hoste externo diabolo & mundo non cum hoste interno.

Quod si instes; Dæmon tentavit Christum externè; ergò etiam fuit in Christo pugna interna: quia non potuit tentare nisi Christo mediante cognitione repræsentaret aliquod objectum malum sub ratione boni, ad quod sequitur pugna interna.

*R.* Pugna interna sequitur ad repræsentationem mali sub ratione boni delectabilis & habentis vim movendi appetitum sensitivum independentem ab imperio rationis Con. non habentis illam vim N. objectum autem malum Christo repræsentatum talem vim non habebat.

*Ad 3.* Quòd fomes peccati sit pœna peccati originalis cum morali aliqua deordinatione & inclinatione ad culpam, aliæ autem pœnalitates non habent aliquam moralem deordinationem à recta ratione; & licet fomes peccati non sit formaliter peccatum, est tamen radicaliter & inclinativè tale, ideòque repugnat infinitæ Sanctitati, quam participat natura humana à supposito Divino.

## DISPUTATIO X.

*De Potentia & Defectibus Christi.*

**A** Nimam & humanitatem Christi non fuisse  
omni-

omnipotentem constat: quia omnipotentia, cum contineat eminenter effectus infinitos, nimirum omnes, quicumque non implicant contradictionem, est virtus physicè infinita, cujus anima Christi non est capax. Deinde virtus infinita operandi est proprietas naturæ infinitæ; ergò omnipotentia naturam Christi non humanam sed Divinam comitatur. Demum omnipotens à nullo alio in agendo dependet, quod de humanitate Christi dici nequit. Sed dubitatur: an humanitas habuerit virtutem productivam effectuum supernaturalium?

### Q U Æ S T I O I.

*An Humanitas Christi sit Causa principalis vel instrumentalis Gratia?*

**D**ICO: *Humanitas Christi non causat Gratiam propriâ virtute, sed virtute Divinitatis adjuncta.* S. Th. 1. 2. Q. 112. a. 1. ad 1. sive humanitas Christi fuit causa Physica Gratia aliorumque effectuum supernaturalium Incarnationis executionem subsequens, non principalis, sed instrumentalis.

*Prima Pars probatur ex illo Luc. 6. v. 19. Virtus de illo exibat & sanabat omnes Luc. 8. v. 46. Novi virtutem de me exivisse Joan. 1. v. 17. Gratia & Veritas per Jesum Christum facta est, quæ verba in proprio sensu physicam Virtutem & operationem significant. Rursus Christus contulit Apostolis Spiritum sanctum insufflando, sanavit cæcum contactu, resuscitavit mortuos voce, hæc autem omnia denotant physicam effectuum miraculorum efficientiam. Si ergo Sacramentis novæ Legis tribuenda sit efficientia physica Gratia*

( ut

(ut infra dicitur) quia ea, quæ de illis dicuntur, in sensu proprio plus quam causalitatem moralem important, à potiori causalitas physica gratiæ aliorumque effectuum supernaturalium competit humanitati Christi.

*Probatur 2.* Ex Con. Ephesino, quod Can. XI, definit; carnem Christi esse vivificatricem, eò quod facta sit propria Verbi,

*Probatur 3. Ratione:* Omnis perfectio non repugnans, sed potius conveniens officio capitis & Redemptoris est Christo concedenda; sed virtus physica ad gratiam & miracula causanda est quædam perfectio conducens ad finem redemptionis; ergo est concedenda Christo.

*Secunda & tertia Pars probatur:* Humanitas Christi non causat gratiam aliosque effectus miraculosos per propriam virtutem, sed per virtutem instrumentalem; ergo non efficit hos effectus physice principaliter sed instrumentaliter. *Probatur Antecedens:* Effectus nunquam excedit virtutem ipsius causæ principalis, quæ ipsi est propria, & quâ potius agit, quam agitur; in hoc enim differt ab instrumento, quod potius agitur, quam agat, & dum agit, agit per virtutem transeunter receptam, sed non propriam; sed effectus gratiæ aliique miraculosi excedunt virtutem propriam humanitatis Christi, & illa agit non per habitum sibi proprium, sed per motionem transeuntem quâ potius agitur quam agat; ergo agit instrumentaliter, habebat quidem humanitas Christi virtutem patrandi miracula per modum habitus sive permanentem, ut ea, quoties vellet, ab instanti conceptionis, uti potuerit; at tamen non erat ea habitus sed transiens motio ad singulos effectus miraculosos humanitatem Christi elevans dixi supra effectuum incarnationis executionem  
suble-

subsequentium : quia humanitas Christi non fuit causa physica gratiæ & effectuum supernaturalium, qui antecederent executionem incarnationis: cum physica efficientia præsupponat physicam existentiam causæ.

*Obj.* Instrumentum physicum debet habere aliquam actionem præviã dispositivã ad actionem causæ principalis; sed humanitas talem actionem non habuit, ergo.

*R.* Negando Maj. Licet enim instrumentum physicum debeat habere actionem præviã, non tamen dispositivã, ut patet in Sacramentis. Unde humanitas Christi semper aliquo sibi proprio actu vel tactu vel voce vel actu interno præcessit operationem miraculosã, & sic deferebat virtutem imperii practici Dei, quæ delatio consistit in hoc, quod Deus suã voluntate statuit non applicare suã virtutem ad effectus miraculosos, vel supernaturales, nisi ut modificatã vel receptã in tali instrumento, quod ab ipso elevatur simul & applicatur per motionem quandã fluentem supernaturalem. Dicitur autem aliquando humanitas Christi esse principale agens, dum in Sacramentis confertur gratia; Verum hoc intelligi debet respectu instrumentorum extrinsecorum & à divinitate separatorum.

## Q U Æ S T I O II.

*An anima Christi potuerit creare?*

**D**ICO. *Anima Christi habet quidem speculativã scientiam creandi (scit enim qualiter Deus creat) sed non habet hujus rei scientiam practicã: quia non habet scientiam creationis factivã. S. Th. hic Q. 13, a. 1, ad 3, sive anima Christi*

*Rj*

sti non habuit principalem aut instrumentalem virtutem creandi.

*Probatur* : Omnis actio creativa sive principalis sive instrumentalis non præsupponit subjectum, in quod agat : cum creatio sit productio Entis ex nihilo ; sed actio creata qualis est actio animæ Christi supponit subjectum, in quod agat : cum sola virtus infinita possit producere ex nihilo, finita autem virtus requirit præexistens subjectum, circa quod agat & ex cuius potentia sive naturali sive obedienciali formam educat. Videantur dicta 1. p. Disput. XXII. Q. I.

### Q U Æ S T I O III.

*An defectus corporales Filius Dei assumpserit?*

**N**otandum Ex S. Th. Quod duplices potissimum sint defectus, sive infirmitates corporis : quidam sunt toti humano generi communes ex peccato inflictis, ut passibilitas, mors, fames, sitis, somnus, fatigatio &c. quidam sunt particulares, qui in quibusdam tantum hominibus ex variis particularibus causis oriuntur: v. g. cum quis propter particulare suum peccatum, propter cibi, vel aeris intemperiem, percutitur leprâ, morbo caduco &c.

*DICO.* Illos defectus Christus assumere debuit, qui consequuntur ex peccato communi totius nature, nec tamen repugnant perfectioni scientiæ & gratiæ. S. Th. hic Q. 14. a. 4. O. Sive Christus assumpsit defectus corporales communes plenitudini scientiæ & gratiæ non repugnantes, particulares autem corporis defectus aliquos, non omnes assumpsit.

*Prima Pars constat ex S. Scriptura ; In quâ Christus legitur fatigatus fuisse, esuriisse, sitivisse, in cruce*

cruce mortuus fuisse. Et ex conciliis, in quibus contra varias hæreses denegantes Christo corpus, quod nostris corporibus sit simile, definitum est.

Congruentias tres assignat S. Th. & ratione harum dicitur: *debut*: non, quod in eo fuerit aliqua ad hos defectus absoluta necessitas, multò minus, quod in eo fuerit commune peccati originalis debitum, sed quia congruum erat: 1<sup>o</sup> quia hi defectus serviebant fini incarnationis Christi pro nobis in carne satisfacturi. 2<sup>o</sup> Quia ex his defectibus contrà hæreticos probari potest veritas humanitatis assumptæ. Denique quia hoc modo dedit Christus nobis exemplum veræ patientiæ nobis valde necessariæ. His addi potest ea congruentia, quam urget Apost. Hebr. 2. v. 17. *Debut per omnia fratribus similari, ut misericors fieret, & fidelis Pontifex ad Deum, ut propitiaret delicta populi.* v. 18. *In eo enim, in quo passus est ipse, & tentatus, potens est & eis, qui tentantur, auxiliari.* Et Cap. 4. v. 15. *Non enim habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris: tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato.*

*Secunda Pars patet*: Quia inter defectus particulares numerantur, quæ Judæi Christo inflixerunt Vulnere per clavos, spinas, flagella, Luxatio item membrorum tempore passionis, modus aliæque circumstantiæ mortis, v. g. quod in flore ætatis tam atroci supplicio sit occisus.

*Tertia Pars etiam patet*: Quia Christus non assumpsit v. g. morbos, aut corpus mancum, monstrosum vel deforme: nam hæc miseriæ in aliis hominibus aliquando ex defectu virtutis formatricis, aliquando ex intemperantia, aliquando ex noxia qualitate cibi, potus, aeris, vel ex aliis denique infortuniis proficiscuntur, hinc corpori Christi attribui

D  
tribui no  
pulcherr  
poris gra  
& ab om  
semper al  
sanum, fo  
Iud Pf. 44  
Q. An  
istos defe  
Pro m  
Norandu  
pliciter c  
principia  
positum e  
pus, &  
passibilita  
respectu  
ipli etiam  
rari natura  
nim cum  
nes istos d  
hi defect  
nisi pecca  
peccato h  
sunt, & c  
hanc con  
ex natural  
tione nat  
non voca  
peccato c  
dit.  
Hoc n  
hos defe  
lum habu  
volvitur,  
Pars

tribui non debent, utpote quod à Spiritu sancto pulcherrimè formatum, ac omnibus humani corporis gratiis dotatum, inde temperatè nutritum & ab omnibus casibus aduersis defensum, adeoque semper ab utero Virginis usque ad passionis tempus sanum, formosumque conservatum sit, secundùm illud Ps. 44. v. 30. *Speciosus formà præ filiis hominum.*

Q. An dici possit, quòd Christus communes istos defectus contraxerit?

Pro meliore intellectu antequam respondeatur: Notandum: communem naturam humanam dupliciter considerari posse. 1. mò, secundùm sua principia, quatenus nimirùm habet corpus compositum ex Elementis perpetuò inter se pugnantibus, & sic totum genus humanum consequitur passibilitas, mors, corruptio &c. adeoque hoc respectu defectus isti dicuntur generi humano ac ipsi etiam Christo naturales. 2. dò Potest considerari natura humana prout à Deo est condita, nimirùm cum dono originalis iustitiæ, quâ Deus omnes istos defectus excluserat & impediverat, ità, ut hi defectus homines nunquam vexaturi fuissent, nisi peccatum intervenisset, interveniente autem peccato homines dono iustitiæ originalis privati sunt, & defectus isti successerunt, atque secundùm hanc considerationem non dicuntur defectus isti ex naturali necessitate advenire hominibus generatione naturali ab Adamo descendentibus, adeoque non vocantur defectus naturales, sed defectus ex peccato contracti; quia peccatum illis causam dedit.

Hoc notato &c. cum S. Th. hìc a. 3. Christum hos defectus non contraxisse: quia peccatum nullum habuit, quod tamen in verbo contrahendi involvitur, sed eosdem voluntariè & liberè assump-

fit: quia nimirum illos ad finem Incarnationis efficaciter ultrò ac voluntariè acceptavit, adeoque non contracti sed voluntarii vocandi sunt, quantum ut monet S. Th. a. 2. possit dici, quòd isti defectus sint Christo secundùm quid involuntarii, quatenus nimirum voluntas humana Christi inefficaciter tales defectus refugit, in quantum sunt contrà naturalem inclinationem corporis humani, ut fames, sitis, mors &c.

#### QUÆSTIO IV.

*An Anima Christi fuerit passibilis?*

**N**ota: quoad præsens duplex est passio animæ corpus informantis: una dicitur corporalis, quæ animæ convenit, quatenus est forma corporis, & per hujus alterationem est ab eo separabilis; altera dicitur animalis & est propriissimè actus appetitûs sensitivi operantis cum aliqua corporis alteratione.

**DICO:** *Quia corpus Christi fuit passibile & mortale, necesse fuit, ut etiam anima ejus hoc modo passibilis esset ... affectiones appetitûs sensitivi ... in Christo fuerunt S. Th. hic Q 15. 2. 4. O.*

**Probatur:** Utroque modo fuerunt in Christo passiones: primo modo: quia anima Christi de facto fuit à corpore separata. Secundo modo: quia in textâ Synod. Act. 2. & 8. definitum est fuisse in Christo affectus appetitûs sensitivi. Deinde Christus æquè habuit potentiam appetitivam, ac nos; ergò etiam habuit ejusdem actus; cum non repugnent plenitudini gratiæ & scientiæ Christi, & aliqui valde utiles sint ad finem Incarnationis, & ad satisfaciendum pro peccatis: ut dolor, de quo apud Is. 53. *Verè languores nostros ipse tulit, &*

*dolor*



*dolores nostros ipse portavit.* Tristitia: de qua Matth. 2. v. 38. *Tristis est anima mea usque ad mortem*, quæ non tantum fuit in appetitu sensitivo averfante malum nocivum per sensum internum, vel etiam intellectum apprehensum, sed etiam in voluntate, de qua S.S. P.P. verba allegata exponunt. Timor: de quo Marc. 14. v. 33. *Cæpit pavere & cadere.* Ira quoque & zelus in ipso apparuit: cum ejiceret eimenes & vendentes è templo. Audacia: dum aggredereur res valde arduas. Admiratio: de qua Matth 8. v. 10. *Audiens Jesus miratus est;* & licet secundum scientiam Divinam & infusam Christo nihil novum fuerit, fuit tamen aliquid ut de novo cognitum perfectam scientiam acquisitam.

Fuerunt verò omnes passiones animales aliter in Christo, ac sint in nobis ex triplici capite. 1<sup>mo</sup> Ratione obiecti: quia nostræ passiones sæpè feruntur in objecta illicita, cum in Christo tantum terrentur in honesta. 2<sup>dò</sup> Ratione principii: quia in Christo oriebantur passiones secundum dispositionem rationis, in nobis sæpè præveniunt rationem. 3<sup>tiò</sup> Ratione effectûs: quia in nobis perturbant rationem, ejus operationes perfectas impediunt, & ad peccatum sæpè trahunt; quæ omnia in Christo locum non habuerunt.

*Dices:* In Christo non fuit timor, quia juxta Aristotelem: Timor non est, ubi nulla est spes evadendi, & est certitudo mali imminentis; sed Christus sciebat passionem & mortem sibi certò subeundam esse absque spe evadendi; ergo.

*re.* Negando assumpt. ad probat. dico, quòd Aristoteles locutus fuerit de certo quodam timore; prout involvit sollicitudinem & ignorantiam eventûs futuri; sicuti cum noctu timemus

ex aliquo sonitu audito, ignorantes, quid portendat; & ejusmodi timor non poterat esse in Christo, non autem descripsit absolutè timorem, prout dicit fugam seu actum appetitûs sensitivi malum futuram naturaliter refugientis; quomodò fuit in Christo.

## DISPUTATIO XI.

*De Merito Christi.*

**P**Lura de merito Christi constant ex præcedentibus nempe opera Christi meritoria fuisse infiniti valoris ex disp. III. Christum per liberam acceptationem mortis meruisse ex disp. IX. Non fuisse meritum unionem hypostaticam, nec ejus circumstantias antecedentes & concomitantes, nec in rigore Maternitatem B. V. nec gratias antiquis PP. datas ex disp. V. de iis, quæ restant de merito Christi examinanda, sit

## Q U Æ S T I O I.

*An & quomodo Christus & an in instanti meruerit?*

**D**ICO: *Christus in primo instanti suæ conceptionis sanctificatus fuit per Gratiam . . . cum Sanctificatio Christi fuerit perfectissima . . . consequens est quòd in primo instanti suæ Conceptionis Christus meruerit. S. Th. hic Q. 34. a. 3. O. sive Christus meruit in & à primo instanti Conceptionis, & per totam vitam usque ad instantis mortis exclusivè.*

*Prima Pars probatur: Christus in primo instanti conceptionis habuit actum supernaturalem voluntatis liberum; atqui ille fuit meritorius: cum habuerit omnes conditiones meriti; fuit enim su-*  
per;

pernatur  
primo in  
fiorè, P  
justificati  
catione in  
ficarione

Obj.  
sed actio  
libera; q  
cum elect

Re. Ad  
supponit  
fectum ju  
de conver  
primo inf  
cit inqu  
imperfect  
tat tantum  
nus inquit

Obj. 2  
ceptionis  
in I. P. d

Re. Di  
lis naturæ  
rem in m  
tionis, n  
num, no  
nisi per et  
quirendo  
malum,

Secunda  
tam vitam  
attribuend  
non repu  
pugnat,